

Vel 2. ad humanam personam fit orationis conversio, ut, Psal. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringes eos* 10. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram.*

(Hic ubi Propheta de spirituali Christi regno vaticinatus esset, per Apostrophen se ad principes convertit, eosque ut se Domino subjiciant, graviter hortatur. Sic Psalm. 6. Avertit se David à luctu & squalore suo ad hostes insultantes, eosque his verbis alloquitur: *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Est hæc Apostrophe in familiaribus concionibus sacris usitatissima & maximè necessaria, ubi concionatores univèrsalia, quàm sæpissimè speciàtim singulis per apostrophen applicant.)

Vel. 3. ad rem mutam & inanimatam quasi ad personam orationis fit conversio, ut, Matth. 11. 13. *Et tu Capernaum, quæ in cælum usque exaltata es, usque in infernum detruderis!*

(Hic ubi Christus civitatibus Chorazim, Bethsaidæ, Tyro & Sidoni, in quibus plurimas virtutes ediderat, ad quas ipse tamen pœnitentiam non egerant, summam ingratitude exprobatset de quibus vid. v. 20. 21. 22. eleganti tandem apostrophe se ad Capernaum convertit, eamque veluti personam aliquam animatam alloquitur. v. 23. Sic Cic. pro Milone ad Albanos tumulos, lucos & aras. *Quasi personam aliquam orationem convertit: Vos Albani tumuli atque luci, vos inquam imploro atque obtestor, vosque Albanorum obruta ara sacrorum populi Romani socia atque equales, &c.)*

1. Apostrophe ad vehementiam & affectus est accommodata.

2. Exclamationi elationis genere non cedit, & per sæpè cum ea conjungitur.

3. Ra-